

centorum denariorum panes, sed Andreas non tam multum; quinque panes adesse ait, quamquam insufficientes tantæ multitudini, insinuans posse Christum eos augere per miraculum, si paulo plures essent: quemadmodum Elisæus XX. panibus hordeaceis pavit centum viros, IV. Reg. IV. Unde Chrysostomus ait eo loco: « Prudentior quam Philippus, Andreas, non tamen penitus rem intellexit. Puto autem eum adductum prophetarum miraculis, ut Elisæi ex panibus. Præcessit ergo Andreas Philippum, non tamen in ipsum cacumen evasit, putabat enim ex paucioribus pauciora, ex pluribus plura facturum miraculorum auctorem; in quo disipiebatur. » Defuit igitur illi prudentia et fides senilis, non defuit virilis; quia credidit Christum multiplicare posse miraculo panes: alioquin tam paucorum panum mentionem non fecisset. Utinam vel tanta fides in multis reperiretur, ut in Deo confidentes, crederent posse eum pauperes etiam census ita benedicere, ut commode vitam sustinere possint.

Sed quam plurimi similes Philippo, nisi plussquam denarios ducentos, nisi horrea, et cellaria omnia plena habeant, se vitam at familiam sustentare non posse existimant. Unde interdum ad desperationem divites aguntur, cum vini aut frumenti pretium decrescit; aut pauperes, cum crescit. Hujus rei exemplum stolidissimum fuit Apicius ille Romanus, qui cum quindecies centena millia aureorum possedisset, et omnia helluando consumpsisset, præter centum millia quæ remanserant, in desperationem actus, quasi hoc modico vivere non posset, veneno mortem sibi attulit, Dion. Nicæus, in Tiberio, et Martialis, in Satyr. Aeneas civis urbis Aeneæ ex oraculo sibi persuadebant fore ut patriam terram amitterent, si vel particulam aliquam egentibus largirentur, teste Plutarcho, in quæstionibus Græcanicis, q. XIV. tales sunt avari, qui secum actum putant, si vel modicum eis decedat, aut largiri debeant: pueri, non viri.

IV. Quando Ægeam proconsulem Achaia de impietate sua et Christianorum persecutione redarguit, primo quidem, modeste sed graviter, dices: « Oportebat te quidem, qui hominum iudex esse comprobaris, summum illum et incorruptum vivorum ac mortuorum iudicem agnoscere et colere, animumque ab impio deorum cultu revocare. » Deinde, ubi eum surdum ad suam prædicationem atque induratum vidit, acriter: « Audi, fili, mortis et stipula æternis parata incendiis, audi me servum Domini et apostolum Jesu Christi. Hactenus censura fidei mitius tecum egi, ut idola vana contemneres; sed quia in imprudentia

tua, perseverans, me existimas tuas minas formidare posse, age, quidquid tibi in suppliciis majus videtur, excogita. » Aspice hic virilem Andream animam. Cogita, Andrea, quid Christo Scribas et Pharisæos, Joanni Herodem, Stephano Judæos arguenti evenerit, quotusquisque est qui veros principes de peccato audeat corrigere. Quando Saul furibundus innocentes sacerdotes ferro impii Doeg concidendos tradidit, nemo unus ex ejus aulicis pro sacerdotibus loqui, et regis iniquum furorem mitigare ausus est, I. Reg. XXII. cum tamen prius, c. XIV. quando Jonatham filium, ob prævaricationem mandati, morti addixerat, omnes pro Jonatha se interposuerint: quia nimirum hic non timuerunt offensam regis incurere, ibi timuerunt. At pueri sunt isti, qui anserum sibles timent, ab igne et aqua sibi non cavent: hominem timent, Deum non timent, ne gratiam ejus perdant. Quod si æqualis aut inferior est, qui corrigendus. Quid enim gratiæ ab ipso speres, vel ingratia metuas? Nec minus se virilem præstitit Andreas, quando senem, Nicolaum nomine, fornicationi assuetum, ut plane iam emergere desperaret, pro ejus conversione sex horis lacrymando, et usque ad quintum diem inedia se conficiendo, et cæno libidinis extraxit, iramque Dei ab eo cohibuit; a quo et audivit: *Tua opera, Andrea, Nicolaum, quem perdidderam invenit.* Refert Abdias, in ejus vita. Vir certe est, qui non sine difficultate ab incendio aut naufragio quempiam eripit. Hoc Andreas fecit; quicumque peccatorem ad sanam mentem reducit.

V. Quando blanditiis et minas Ægeæ proconsulis contempsit. Proponit ille Andream gaudia hujus vite, quibus frui secure posset, si Christum abnegaret. Sed Andreas: *Gaudis tecum fruam sempiternis, si, execrabili deorum cultu relicto, mecum Christo credas et animæ tuæ curam geras.* Quare Ægeas cum blanditiis et promissis nihil efficeret, ad minas se convertit, et crucem ei intendentat. At Andreas: *Ego crucis Christi servus crucis trophæum aptare potius quam timere debeo.* Voluit aliquando Pyrrhus Epirotarum rex C. Fabricium Romanum, virum bello strenuum, etsi pauperem, ad se missum a Romanis ad suas partes trahere. Et primo die obtulit aurum, sed non accepit Fabricius. Altero die, dum cum eo loquitur, jussit extra aulam retro ipsum adduci ingentem elephantem ut eum terreret. Amotis igitur aulæis, apparuit ei a tergo bellua, quæ cum horribili barritu proboscidem super caput ejus extendit. At nihil commotus Fabricius: *Neque heri, inquit Pyrrho, aurum tuum, neque bellua hodie me commovit.* Plutarch. in Pyrrho. Idem dicere Ægeæ poterat Andreas: *Neque heri promissa tua*

gaudia, neque hodie minæ tuæ crucis me a Christo divulserunt, et ad deos tuos traxerunt. Hoc imitemur, Christiani, ut nec blanditiis, nec plagis ab æquo et recto unquam divellamur. Imitata est certe etiam mulier una, S. Anastasia, Publici viri clarissimi sed gentilis conjux, quæ sub Diocletiano tentata ab Ulpiano, Capitolii pontifice, de fide abneganda, propositis hinc opibus, honoribus, vestium ornatu, gemmarum splendore, lectis argento incrustatis et stragulis ornatis; inde ensibus micantibus, vinculis, flagellis, lampadibus, lebetibus æneis, sartaginibus, unguis in medium allatis; neque tamen illorum illecebris, nec horum minis emolliri potuit (ut in ejus actis, apud Surium, 25. dec.) pulcherrimo exemplo mulieribus, uti castitatem suam similiter nec minis nec blanditiis expugnari sinant.

VI. Quando ad crucem festinavit, nec a populo impediri se est passus; et quando ad crucem ductus, a longe exsultans, eam salutavit illis suavissimis verbis: *O bona crux, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsitæ, et aliquando cupienti animo præparata, etc.* nec ab ea post hiduum se deponi ulla ratione permisit. Tanta enim alacritate in primis perrexit ad crucem, quanta homines alii pergunt ad messem, aut vindemiam, nuptias aut choreas; adeo ut S. Bernardus de eo dicat: *Obsecro, fratres, homo est, an angelus, aut nova aliqua creatura, quæ hæc loquitur?* serm. II. de S. Andrea. Cumque fortitudo constantiam requirat, ecce tibi Andream, biduo in cruce pendentem et Christum prædicantem; cum videret adventantes, qui se a cruce solverent, fortiter resistentem et præcæntem Christum ne id fieri pateretur. Scivit enim Dominum et magistrum suum Christum, de cruce evocatum a Judæis, minime descendisse. Scivit sibi a Joanne apostolo dictum: *Andrea, poculum Petri bibes;* ut referetur in libro de passionibus apostolorum, c. XX. apud Baronium, anno 69. Petrum autem fratrem in cruce vitam clausisse. Scivit id vulgatum Pythagoræ dictum: *In poculi fundo residuum ne reliquo:* scivit denique sibi dictum a Christo: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis regnum, etc.* Luca XXII. Celebratur mira fortitudo Milonis illius Crotoniata, qui cum disco peruncto institisset, omnes ludibrio habebat, qui se quovis impetu facto detrudere conabantur, apud Pausan. l. VI. Andreas in cruce stans, ita se firmarat, rogans Christum ne deponi se permetteret, ut nec Ægeas nec carnifices solvere aut attingere eum possent.

Superest, auditores, ut nos quoque Andream et viriles simus. Non enim decet in Ecclesia Christi

pueros moribus esse; uti prædixit Isaias, cap. LXV. *Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos,* hoc est, qui ætate quidem grandis et grandævus, moribus autem sit parvus, et puerilis. Addique: *Quia puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit,* h. e. tales pueri morte æterna punientur, et maledicti erunt, quod in tam virili tot heroum Ecclesia pueri fuerint; quod a nobis avertat Deus.

## CONCIO IV.

CRUX ANDREANA, IN QUA BONI MALE HABENT, MITIGATUR.

Boni sæpe hic mali bone habent. — I. In læva adversitatis securius digitur. — II. Prosperitas malorum exilis. III. Palorum prosperita permixta mysteriis. — IV. Brevi dura utraque fortuna. — V. Infelix prosperitatis finis.

## THEMA.

*O bona crux! Vox S. Andrea.*

Habet S. Andream crux figuram peculiarem, similem litteræ X, qualem expressit Jacob benedicens filios Joseph, cum transpositis decussatim manibus, posuit dexteram super caput Ephraim, stantis ad sinistram ejus, lævam super caput Manasse, stantis ad dexteram, Gen. XLVIII. Quæ sane commutatio manuum judicabat divino instinctu et mysterio, sæpe in hoc mundo constitui ad sinistram adversitatis eos, qui sunt filii dexteræ, seu electi; et contra ad dexteram prosperitatis eos, qui sunt filii sinistræ, seu præsciti. Multi enim boni in fame, carcere, servitute, tormentis vitam exigunt, dum interea improbi omnibus hujus mundi bonis ac suavitatibus circumfluunt. Visa est hæc crux non paulo asperior et mirabilis, viris etiam perfectis, uti S. Job. c. XII. *Quare impii vivunt, inquit, sublevati sunt, confortatique divitiis etc.* Ipsi etiam Davidi, Ps. LXXII. dicenti: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, etc.* rursum Jeremiæ. c. XII. *Quare via impiorum prosperatur? Bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt, etc.* necnon Habacuc. c. I. *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiore se?* Denique in hunc scopulum impegerunt gentiles, qui inde conjectabant aut Deum non esse, aut saltem non curare res terrenas, uti sensi Plinius, l. II. c. VII. aut certe summa tantum curare, minora negligere, uti

Balbus Stoicus, apud Ciceronem, l. II. de nat. deorum : sed errarunt isti ; nec habent boni, cur conquererentur, si hic ad lævam ponantur adeoque in cruce cancellata cum S. Andrea patiantur. quinimo si ejus utilitatem, Dei suavem providentiam intelligerent, exclamarent utique cum apostolo illo : *(o) bona crux, diu desiderata, sollicitè amata, etc.* nec ab ea deponi unquam desiderarent. Quare ut ipsis ea crux mitigetur, pauca videamus, ipsis cogitanda.

I. Cogitent se in læva adversitatis longe securius degere, quam qui in dextera sunt prosperitatis. Nam, ut Ps. XC. dicitur : *Cadent a latere tuo (sinistro) mille et decem millia a dextris tuis.* Per sinistram propheta intelligit adversitatem, prosperitatem per dexteram. Ex hac cadunt decem, nequam unus ex sinistra. Patet in pluribus regibus v. t. qui in prosperitate Deum oblitii sunt. C. misere perierunt. Patet in Ecclesia, quæ tempore persecutionis magna sanctitate floruit, cessante persecutione defloruit, teste S. Gregorio Naz. orat. XIV. *Nos inquit, qui ex persecutionibus robur comparavimus atque in unum collecti sumus, diffluximus atque dilapsi sumus.* Unde colligit hanc sequelam : *Facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quam prosperam conservare.* Illa siquidem nos reddit humiles, ista superbos, in illa confugimus ad Deum, in ista Dei obliviscimur. Homo enim habet se instar limacis, qui exiguo rore aut humore de lapso e cælo ita extenditur, ut quodammodo extra seipsum exire, ac domum suam, cui affixus est, deserere videatur : prodit in vias publicas, ubi cum fugere nesciat, terræ adhærens a transeuntibus conculcatur, qui, in domuncula sua si se contineret, inter vepreta securus viveret. Sic, inquam, homo, quando aliquo fortunæ radio tangitur, statim extra se sui que cognitionem et rectæ rationis limites egreditur, committit se periculis et in peccata labitur ac protegitur. Equus bene pastus est prospera fortuna ; talis equus mordet, calcitratur, in altum se erigit, cessorem excutit, ad præcipitia abripit ; male pastus contra, pacatissime incedit, et tametsi quidem molestior, est securior tamen. Hinc Moyses, Deut. XXXII. ait : *Incrassatus est dilectus et recalcitravit.* Quid, quod et stultus apud Ecclesiastem, c. IV. rem hanc intellexit dicens : *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi.* Mensa pauperula cum constanti sanitate et longævitate melior ipsi visa est, quam mensa divitum opulenta cum continuis morbis, podagra, cholica, hypocondria, quæ tot egent medicinis, et immatura morte.

II. Cogitent prosperitatem hujus sæculi, qua carent ipsi, gaudent reprobi, exiguam et puerilem

esse adeoque nec invidia dignam. Christus in primis bona hujus sæculi, sive in magno sive in parvo numero, esse parca in parabola talentorum, Matt. XXV. nam et ei cui duo, et ei cui quinque talenta dederat, ait : *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Et tamen quinque talenta magnam certe pecuniæ summam faciunt. Unum enim auri talentum continebat apud Hebræos duodecim millia coronatorum Francicorum, ut docet Corn. a Lap. in Pentat. append. de pond. quinqueigitur talenta faciunt 60000 coronatorum : quæ una cum lucro totidem talentorum faciunt duplum ; et tamen hoc Christo parum est : quia ut observat. ibi S. Hieronymus : « Omnia quæ in præsentem habemus, licet magna et plurima videantur comparatione futurorum, parva et pauca dicuntur. » Psalmista, Ps. XVI. appellat ea *abscondita* : *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Rationem ibi dat Didymus, quod villia sint et digna oculis Dei, quomodo nobis sterquilinia, quæ ab oculis abscondi solent. Et propterea forsitan Deus aurum, argentum ac gemmas in profundo terræ abscondit, ut non nisi terram esse sciremus, amore nostro indignam et vilissimam. Idcirco etiam Psalm. VIII. dicitur Deus omnia subjecisse *sub pedibus nostris, oves et boves, etc.* ut sciamus omnia terræ bona non corde amplectenda, sed pedibus substernenda et calcanda esse. Id quod fecere, Act. IV. primi Christiani, veri contemptores mundi, et rerum cælestium æstimatores, quando pretia possessionum suarum attulerunt et abjecerunt ab pedes apostolorum : *Ut ostendant pecunias esse calcandas et nihili faciendas,* ait S. Hieronymus, in ep. ad Paulinum. Salomon appellat ea *infantium* et crepundia puerilia : *Usquequo parvuli diligitis infantiam ?* Prov. I. Ludunt illi par impar, equitant in arundine, fabricant domos luteas aqua et smigmate, bullas flando excitant, quæ mox, in tenues auras vanescunt. Pari ineptia mundani ludicras et pueriles nugas tractant. « Illis (pueris) talorum nucumque, ait Seneca, tr. quod in sap. non cad. inju. c. XII. et æris minuti avaritia est, his auri argentique et urbium : illi inter ipsos magistratus gerunt et tribunal imitantur, hi eadem in campo foroque et in curia ludunt : illi in littoribus, arena congesta simulacra domuum excitant, hi ut magnum aliquid agentes in lapidibus ac parietibus, et tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inventa, in periculum vertunt. » Salomonis sententiam confirmat pater ejus David, quid Psalm. mundi bona vocat : *Vanitatem et mendacium. Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et queritis mendacium ?* Mendacium est mulier ornata, quia saccus stercorum ; mendacium est aurum, quia gleba

terræ, curas et insidias parant : mendacium est splendor vini generosi, quia *in fine modebit ut coluber* : mendacium est honor, quia fumus et opinio : denique sanctum e morte resuscitam audiamus, qui et terrena et cælestia bona vidit. Is est S. Salvius episc. Albiensis, qui de morte, quasi de gravi somno excitatus, convocatis tertio die monachis et matre, ait : « Vere cuncta, quæ in mundo cernitis, vanitas sunt, fumus denique et umbra. Felix ille, qui ea hic meditatur et agit, unde Dei gloria in cælo cernere mereatur. » Refert. S. Greg. Turon. l. VII. hist. Franc. c. 1.

III. Cogitent malorum prosperitatem multis malis et miseris esse permixtam. Asilus piscis est araneæ magnitudine, qui cæteros pisces vexat, maxime vero thynnos et xiphias mari tranquillo : similiter excætus piscis tranquillo mari et alto emergit, aurea ridentis cæli serenitate illectus. Sed nec ipse tunc quietem invenit, nam ecce ad solem apricanti et nihil tale cogitandi parentistæ aves insidiantur, et sæpius eum invadunt, Ath. libro Caussin. VI. symb. lib. VIII. c. XIX. et XLV. Quæ major in hoc mundo felicitas reperiri potest, quam ea, quæ gaudent reges ? At hi tamen conqueruntur, vel qui maxime, de molestiis et miseris. Quantus rex fuit Salomon ? At is tamen fatetur in omnibus se reperisse vanitatem et afflictionem spiritus, Eccles. II. Quam potens ac sapiens erat Alphonsus rex Aragoniæ, Siciliæ et Neapolis ? At hic tamen (idem Sigismundo imp. tribuunt alii, ut Beirl. in apophth. christ.) asinos prædicabat feliciores esse regibus ; nam eos elitellis quidem, dum edunt, exonerari aiebat, reges vero nec dum mensæ assident, posse quiescere. Idem videns rusticum humi recubantem et uvas comedentem : *Utinam, inquit, mihi isto otio comedere datum a Deo esset !* Peroptabat etiam ut popularium suorum unusquisque aliquando rex extitisset : quo demum illi, ut pote, experti, cognoscerent principum occupationes et curas, Panorm. de dictis et factis ejus. Carolus V. cum Bruxellæ suas ditiones resignaret Philippo filio, coram senatu cum lacrymis potestatus est, se toto regni tempore nec ad unum horæ quadrantem habuisse puram meramque lætitiā, sed illam multis curis et felle amaritudinis inspersam. Ratio est, quia sicut omnia mixta constant quatuor elementis inter se contrariis, ita omnia bona sublunaria contrariis, qualitibus. Hoc si reges et confitentur et experiuntur, multo magis sentient alii, quibus fortuna non tam multum dedit. Quis igitur eorum sortem vel desideret, vel ipsis invidet ?

IV. Cogitent malorum prosperitatem et suam adversitatem brevi duraturam. Ex hoc capite vult David, Ps. LXXII. non invidendum fortunæ improborum, cum ait : *Verumtamen propter dolos posuisti*

*eis, dejecisti eos, dum allevarentur* : Hieronymus ex Hebr. vertit : *Verumtamen in lubrico posuisti eos, dejecisti eos in interitum.* Vult ergo dicere, quia per dolos ascenderunt ad felicitatem suam, per dolos etiam cadent velut in ludibrio positi et quidem repente, dum allevantur. Quam dejectionem mox miratur : *Quomodo facti sunt in desolationem ! Subito defecerunt !* Quemadmodum enim qui glacie labuntur, celerrime instar sagittæ prætervehuntur ; et si cadant, periculose admodum cadunt, maxima sui læsione et ad terram allisione : ita qui prospero utuntur felicitatis vento, celerrimo cursu ad gravissimum lapsum feruntur. Addit Psalmus : *Perierunt propter iniquitatem suam, velut somnium surgentium, Domine.* Quemadmodum enim aliqui homines noctu in somno et strato surgunt, et ascendunt tecta, aliaque loca edita, ibique dormientes obambulant, maximo suo periculo et spectantium terrore : ita qui felicitati suæ immersi et in ea sopiti sunt, instar dormientium in summis honorum fastigiis quaquaversum ambulat. Magis igitur commiseratione quam invidia digni ; quia ruinæ proximi, et quidem eo majori quo feliciores aliquando fuerunt. Et quid somnium, nisi res apparens tantum ? Somniat homo se edere, ludere, imperare, etc. transacto somnio, nihil se habuisse vident. Et quam cito transit somnium, tam cito evanescit imaginaria felicitas : tandem concludit David, melius sibi esse duci a manu et voluntate Dei sub disciplina, quam sibi relicto libere vagari in prosperis : *Ut jumentum factus sum apud te, inquit, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxi me.* Boves qui jugum trahere debent, domi continentur sub manu possessoris, securi a macello, et si duram servitatem serviant. At illi, qui per pascua libere vagari undique permittuntur, ad macellum destinantur, et postquam saginaverunt se, illico ducuntur. Unde S. Aug. in eum Ps. ait : « Attende illos superbos indisciplinatos, attende taurum devotum victimæ, permissum errare libere et vastare quæ potest usque ad diem occisionis. » Qualem fuisse Israeliticum populum testatur Oseas, c. IV. dicens : *Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. Nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine, h. e. pascuis spatiosis et uberrimis, quacumque evagari volent, ut impinguati statim cædentur, et sint præda Assyriis.* Macello enim destinatæ oves permittuntur ad breve tempus ire ad pingua pascua ; aliæ victuræ coguntur ad arida et montosa. Unde S. Hieron. ibi : *Pascentur in lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem, et patientia Domini, bonique pastoris eos enutriet ad interitum.* Putatis jam si oves, quæ in monte, paucis aridis herbulis con-

tentæ esse debent, intelligentes essent, inviderent ne iis quæ in vallibus lascivientes uno altero mense saginantur ad macellum? Non opinor.

V. Cogitent infelicem, quem communiter sortiuntur felices, exitum. Et hunc potissimum considerandum esse volunt sancti illi, quos initio diximus, uti Job, cum, descripta impiorum prosperitate, subjicit: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*: David vero: *Intelligam in novissimis eorum*: Jeremias similiter cum eorumdem prosperitatem demiratus esset, subdit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis*. Hæc una consideratio sufficere debet, ut omnem impiorum prosperitatem aversemur, eorumque vitam et mores detestantes, ad eorumdem interitum potius oculos figamus. Videmus sæpe nubes et terra elevari, in sublime ferri, radiare, tumere, tonare, fulgurare, non illis invidemus: scimus enim brevi vel a vento pellenas ac dispergendas aut in aquas, ac denique in lutum resolvendas, nostrisque pedibus calcandas. Impii quasi nubes in altum efferuntur per prosperitatem. Unde Job, c. XX. ait Sopbar: *Gaudium hypocrite ad instar puncti: si ascenderit usque ad caelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine pedetur, et qui eum viderant, dicent: Ubi est?* Quis invidet navi, quantumque licet divitiis onustæ et deliciis circumfluenti, dum videt eam vehementi ventorum impetu deferri in medios scopulos ad certum naufragium? Erat hujusmodi navis, quam describit Plutarchus, in Antonio, per Cydnum Cleopatram vehementem, aurata puppi, velis, passis purpureis, remigio argenteis ducto remis ad tibiaram, fistularum et cithararum modos, etc. Similem navim opulentæ illius fastuosæ Tyri describit ad longum Ezechiel, c. XXVII. Tyrus enim in mari sita, instar navis quasi natare in gloria et opibus suis videbatur; cui prædicit exterminium Ezechiel a Chaldæis inferendum: *In aquis multis, inquit, adduxerunt te remiges tui, h. e. gubernatores tui ad magnam gloriam te pervexerunt: Ventus auster contrivit te in corde mores*. Auster est ventus calidus et suavis a meridie et dextera mundi regione veniens; unde prosperitatem denotat, quæ sane perdidit Tyrum, dum in altum vitiorum deduxit. Unde et Nabuchodonosor ab australi parte, videlicet ab expugnata Jerusalem, venit Tyrum ad ejus vastationem. Fuit sane hujusmodi rostrata navis Emmanuelis Rosæ cognomine Sepuluedæ, qui nomine regis Lusitani in India arci Diensi præfuerat, summa felicitate ac dignitate diu perfruitus, quam pressam impletamque divitiis cum conjugæ, liberis, et familia Cocini rediturus in Lusitaniam, inscendit: sed circa Bonæ Spei pro-

montorium naufragio cum omnibus rebus perdidit, in littus cum suis magna difficultate ejectus, ubi Æthiopum reguli jussu (ut refert Maffei lib. XVI. hist. Ind.) non solum exarmati, sed etiam vestibus spoliati in sabulo nudi, et omni auxilio rebusque necessariis orbat, et fame, atque siti in arida regione fere enecti essent metu ac pudore confusis, qui ex infelici naufragio restabant, atque a tanta rerum vicissitudine et indignitate, stupentibus similes avertentibus oculis. Eleonora conjux Sepuluedæ, Græziæ Sata prætoris Indiæ filia, quum barbaros in detrahendis et exuendis vestibus occupatos, generis, dignitatis ac pudori memor, ultro pugnis colaphisque ad necem suam nequicquam irritasset; huicque castæ matronæ nudæ tristior omni morte lux videretur, et vestigio sese defodit arenæ, et partes corporis, quæ extabant, soluto raptim fusoque obtexit crine. Mox abire, sibi ipsæ consulere jussit supertibus ex infelici comitatu viris, mœstum silentium immobilis tenuit. « Cara tantum intuenti pignora, juges rivi lacrymarum, denso cum gemitu et singultu profluebant. Sepuluedæ item alius mœror ac dolor vocem incluserat, quum defixo intuitu in terram, aliquamdiu attonito, ac stupendi similis astitisset, paterna demum exstimulante cura, proximam in silvam, quærendo qualicumque nutrimento, secedit. Inde regressus Eleonoram conjugem cum triduo jejunio, fletuque pene consumptam, et filioli alterum prorsus, extinctum offendit, cumque suis ipse manibus terræ mandavit. Postridie eodem pabulandi functus officio, conjugem una cum filio exanimem reperit et lamentabili circum vociferatione complorantes ancillas. Hisce confestim summotis, in dexteram jacentis manui aliquamdiu, reclinato capite, incubuit. Dein iisdem adjuvantibus ancillis, cadaver utrumque sepeliit nihil umquam affatus. Postremo sese iterum abdit in silvas, ubi laniatum a feris putant: nunquam deinde comparuit. » Videmus ergo non ad ingressum blandientis fortunæ, sed ad egressum potius et finem convertendos esse oculos. Id quod faciant Dei servi, qui idcirco, Zach. III. *Viri portendentes*, seu ut legunt Septuaginta, *portentorum spectatores* dicuntur. Instar enim astrologorum prædicunt in futurum eclipses fortunarum. Dat se videndam peccatoris felicitas? Mox inde conjiciunt infelicem ejus interitum. Vident forte pauperem a potentiori oppressum aut Lazarum pauperulum ad divitem fores neglectum? Statim hinc divinant ab angelis suscipiendum et deferendum in paradysum. Talis astrologus et somniorum interpretes fuit Josephus, qui quod fratres accusasset de crimine pessimo, odium illorum incurrit; unde per somnia prædixit eis tristia,

sibi vero leta, Gen. XXXVII. Triumphabant illi quidem ad breve tempus sedentes et videntes, dum Joseph in cisterna lugeret. Verum post, mutata fortuna, junerunt illi ad pedes fratris dolentes et lacrymantes. Similem catastrophem sentient in fine boni cum Josepho, mali cum ejus fratribus.

## CONCIO V.

MIRA ANDRÆ ET ALIORUM APOSTOLORUM VOCATIO.

I. Respectu Christi vocantis. — II. Respectu eorum qui vocantur, discipulorum. — III. Respectu finis, ad quem vocantur. — IV. Respectu effectus, secuti. — V. Respectu stipendii. — Respectu dignitatis, ad quam evocati.

## THEMA.

*Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. IV.

Mira quidem fuit vocatio, qua Deus Abrahamum evocavit et patrio solo, ut in alieno peregrinaretur, Genes. XII. Mira quoque Abrahamæ obedientia, qua vocantem mox secutus est. Sed magis adhuc mira fuit vocatio S. Andræ ejusque sociorum in hoc evangelio, magis etiam mira ejus obedientia. Abraham evocatus fuit ex Ur, civitate Chaldæorum gentili: Ur autem ignem significat; (unde II. Esdræ, c. IX. dicitur Abraham eductus de igne) qui, ut videtur, in ea urbe pro Deo colebatur. Andreas cum sociis evocatus est in terram Chanaan, tametsi ignoraret, in qua ejus parte habitandum sibi esset, Andreas omnino nesciit, quorsum a Christo ducendus esset. Abrahamo magna illecebra et merces est proposita: *Faciam te in gentem magnam et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus*; verum Andræ et fratri ejus nihil aliud dictum est, nisi id: *Faciam vos fieri piscatores hominum*? Quanto periculo? Qua mercede? Nihil de his dictum: et tamen Andreas cum sociis, mox relictis omnibus, Christum secutus est. Mira est ergo hæc vocatio, mira et obedientia Andræ et sociorum, plusquam Abrahami. Sed plura alia miranda sunt in hac vocatione, uti nunc videbimus.

I. Mira profecto est hæc vocatio premo si spectemus eum qui vocat. Est enim homo pauper, solus circa mare obambulans, qui nihil stipendii aut lucri pollicetur, nec ut videbatur, præstare poterat; cum in alieno territorio degens, nec do-

num quidem propriam haberet. Itaque non nisi ad inopiam, contemptum, verbera et martyria invitabat. Qui servos vult conducere aut conscribere milites, aurum dare vel stipulari debet, vel spe divitis prædæ allicere. Nihil horum habuit, dedit aut promisit Christus, et tamen unico verbo: *Venite post me*, mox acquirit servos, qui relictis omnibus ipsam sequuntur. Nimirum Christus sua luce illustravit mentes illorum, ut intelligerent quantum et quam bonum dominum sequerentur; quomodo sol radiis suis gignit margaritas in conchis. Hæc in maris recessu jacent ad littus: tamen solis radiis in ipsas influentibus aperiantur, et mox concrevit humor crystallinus, unde generantur margaritæ ut scribit Didacus stella, in c. V. Lucæ. Sic discipuli isti simplices, adeoque clausi et ignorantés, reperi a Christo ad littus maris, collustratique ejus radiis, esse aperunt, eumque agnoscere ceperunt; hinc eorum cordibus progata est margarita fidei, spei et amoris divini: Margarita, inquam, illa, quam qui invenit, abicit et vendit omnia aque habuit, et emit eam, relictis enim omnibus secuti sunt Christum. Ad hæc absque dubio per divinam illustrationem cognoverunt mundi vanitatem, et suarum, quas possidebant, facultatum tenuitatem; quas comparatione margaritæ celestis nihili reputarunt. Quomodo enim columba dimissa Noe, cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad arcam, et facile passa est apprehendi se a Noe et inferri in arcam, Genesis VIII. (quod tamen alia non ferunt columbæ): ita et Andreas cum sociis a Christo illustratus, vidit se in mari non tam Tiberiadis, quam insani hujus mundi constitutum, nullibi invenire ubi pedem figeret et salutem reperiret, nisi in hoc uno Noe et consolatore Christo, quem prius jam nosse ceperat. Quare libens statim manum dedit, seque a mari extrahi et collegio ejus inseri permisit. Non ita juvenis ille, qui a Christo vocatus, abicit tristis, Matth. XIX. inhærens possessionibus ac divitiis suis; ad instar illius corvi, qui emissas a Noe, non rediit ad arcam, sed insedit cadaveribus in diluvio natantibus. Viderint hic, qui Dei vocationem audiunt quidem, sed non sequuntur; præsertim qui ad arcam Ecclesiæ catholicæ, in qua una salus reperitur, evocati ab heresi, non accedunt, post tæ argumenta et testimonia fidei.

II. Si spectemus eos qui vocantur. Erant enim piscatores homines rudes, plebei, pauperes, vocati ad hoc Christo, ut mundum ab erroribus ad viam veritatis reducerent, Christoque subicerent. Qui autem mirabilius, quam rudibus piscatoribus velle convincere ignobiles? Divites pe-